

D. Lutheri refert Tarnovius, è quibus *Mercerum* multa in Commentariis suis in quinque Proph. minores sui juris fecisse observavit. p. 80.

XX. Materiam Ex qua Philologia propriè non habet. *Analogicè* sunt Lingva Græca & Hebraica, utpote in quibus Scriptura S. in fontibus suis est descripta. Procem. p. 13. *Circa quam* sunt singulæ voces: Per has enim ad rerum naturam penetramus, quod probatur exemplo in voc. מַצֵּי & תַּיִם p. 36. Et Syllabæ seu Particulæ, è quibus sententia latens eruenda venit Basil. p. 1. Per syllabas igitur dictionis non intelliguntur partes seorsim consideratæ, quæ per se nihil significant; Sed particulæ licet vel unicâ syllabâ constantes, sensum tamen suum, licet imperfectum, constituent, vel aliorum sensum potius juvantes. Procem. p. 5, 6, 13. Nec solum literæ & syllabæ, sed & literarum apices & accentus, quatenus ij sensum vel adjuvant vel distinguunt. p. 145. vid. ibid. exempla in dicto Hof. 8, 9. Sic è Particulis EX, PER, IN Anti-Trinitarij Hæretici diversitatem & inæqualitatem Personarum SS. Trinitatis ostendere conabantur. Basil. p. 8.

XXI. Forma seu modo tractandi consistit in aptâ & methodicâ instrumentorum applicatione, eorumque usu legitimo. Lutherus hic tria in Scripturæ explicatione observatu dignissima præscribit: (1.) *Precibus à DEO dona Spiritus Sancti Scripturam rectè explicandi esse impetranda.* (2.) *omnia ad Christum aut tres Hierarchias referenda.* (3.) *Propriam verborum significationem esse attendendam.* Mathes. in vit. Luth. cit. in Procem. p. 75. 76.

XXII. Scripturam S. itaque rectè interpretaturus, ante omnia caveat, ne Interpretatio ejus in analogiam fidei impingat. Scriptura enim non interpretanda modò *Grammaticè* est, sed etiam *Christianè* Beza p. 71. Hoc graviter reprehendit D. Lutherus in Judæis, Textum Biblicum pessimè pervertentibus p. 58. Exempla vid. p. 15. Procem.

XXIII. Et ut neque ad sinistram, neque ad dexteram deflectat, sed mediâ viâ incedat, (a) *consilium s. scopum Scriptoris probe*

bè